

advertit in ea Pontifex, hostes catholicæ fidei ad Italorum animos a fide abalienandos asserere, catholicam Religionem gloriæ et prosperitati Italiæ adversari, simulque adlaborare, ut placita protestantismi propagentur, dictitantes, protestantismum nil aliud esse, quam diversam christianæ Religionis formam, et prædictorum hostium consilium eo tandem dirigi, ut ad nefaria socialismi et communismi systemata traducant. Quare Pontifex vigilantiam Pastorum Ecclesiarum excitat, ut hisce erroribus et malis apta remedia opponere studeant. Præsertim vero inculcat Pontifex doctrinæ catholicæ in populo explicationem, et præ aliis curandum esse ait, ut dogma de necessitate catholicæ fidei ad obtinendam salutem æternam proponatur et explicetur. Insuper ratione ejusdem muneris Episcopus in sua Diœcesi est inquisitor natus contra hæreticam pravitatem. Quare advigilare et prohibere debet ne falsæ doctrinæ introducantur, et procedere etiam potest contra delinquentes in hac materia. Potest etiam lectionem prohibere librorum pravorum, qui eo diriguntur ut fidem vel mores corrumpant.

171. Secundum jurisdictionis episcopalis caput est potestas jubendi. Eo quod Episcopi positi sunt ad regendam ecclesiam Dei, proprium jus habent leges ferendi, quæ ad bonum spirituale fidelium sibi commissorum diriguntur; ceu adstruitur ex *c. 2. De Major. et Obed.* Quæ leges possunt etiam adnexam habere pœnam contra transgressores *c. 2. de Constit. in 6.* Cavere tamen debet Episcopus ne legibus suis nimis graves addat sanctiones, et præsertim ne facile censuras latæ sententiæ infligat *Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 10. cc. 1. 2. et 3.* Porro leges Episcopi possunt respicere 1<sup>o</sup>. fidem et mores populi suæ Diœcesis. Verum quoad fidem non potest aliquid novi definire; sed studere debet legibus suis, ceu supra innuimus, ut vera fides servetur in Diœcesi, et errores serpentes jam damnati compescantur. Hinc cavere debet Episcopus ne lege sua vel decreto condemnet doctrinas quæ salva fide retineri possunt et propugnari. Quoad vero mores seu disciplinam non potest lædere aut immutare ea, quæ in universa Ecclesia observantur, sed eo dirigere debet curas suas ut propriam Diœcesim universæ Ecclesiæ uniformem reddat, ut unitas professionis doctrinarum, administrationis sacramentorum ac unitas actionum in christiana societate promoveatur et servetur. — 2<sup>o</sup>. Episcopi statuta morum reformationem in fidelibus, et præsertim in Clericis respicient juxta et non contra sacros generales canones perficien-

dam. — 3<sup>o</sup>. Episcopus præcipere potest ea quæ divina ministrorum officia respiciunt, ut eadem ministri exequantur juxta ecclesiasticas sacrorum rituum præscriptiones. — 4<sup>o</sup>. Episcopus præcipere potest dies festos in Diœcesi observandos, qui observari debent quoque ab exemptis omnibus etiam regularibus. *Conc. Trid. sess. 25. de Regul. c. 12.* Insuper intimat publicas preces, corrigit superstitiosas ac ridiculas formulas deprecationum. Curat etiam ne erronei vel minus convenientes libri precum adhibeantur, aut vulgentur inter fideles. — 5<sup>o</sup>. Tandem indicit synodum Cleri sui. Quod munus cum aliqua explicatione indigeat, hinc brevis sit tractatio

### De Synodo Diœcesana.

172. Hæc Synodus a Benedicto XIV. in *cit. op. Lib. 1. cap. 1. n. 4.* definitur 'Legitima congregatio ab Episcopo coacta ex Presbyteris et Clericis suæ Diœcesis, aliisque qui accedere ad eam tenentur, in qua de his, quæ curæ pastorali incumbunt, agendum et deliberandum est'. Convocatio Synodi hujusmodi est actus proprius Episcopi ita ut juxta omnes Canonistas ad eam perficiendam non indigeat alterius auctoritate vel consensu. Cum vero pertineat ad potestatem jurisdictionis, convocare Synodum potest Episcopus dummodo sit confirmatus ante ipsam consecrationem *c. 15. de Elect.* et probat *Bened. XIV. De Syn. Lib. 2. c. 8.* pluribus adductis S. Congregationis Conc. resolutionibus. Cum tamen ex lege Tridentini *c. 2. sess. 22. de Ref.* Episcopus infra tres menses teneatur munus consecrationis suscipere, hoc jure haud facile nondum consecratus uti poterit. Potest etiam ut vidimus Synodum convocare Vicarius Capitularis, dummodo annus defluerit ab ultimæ Synodi celebratione. Abbas vero, licet habeat quasi Diœcesim, idest gaudeat jurisdictione quasi-episcopali, non potest Synodum celebrare, nisi privilegium apostolicum ad id agendum obtinuerit. Ita respondit s. Cong. Conc. in causa *Nullius* diei 17. Augusti 1626. et in *Nullius Messanen.* diei 5. Julii 1738. Vicarius autem generalis non potest Synodum convocare absque speciali mandato Episcopi, et si id, etiam Episcopo absente, facere ausus sit, acta Synodi sunt ipso jure nulla. Ita resolvit S. Congr. Conc. die 4. Dec. 1655. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Lib. 2. c. 8.*

173. Queritur quinam vocandi sint et interesse debeant Synodo Diœcesanæ. 1<sup>o</sup>. Vocandi sunt et interesse debent Abbates omnes sæculares quamvis exempti, qui in Diœcesi reperiuntur. 2<sup>o</sup>. Regu-



lares vero vocandi sunt et interesse debent qui alias, exemptione cessante, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur *c. 2. sess. 24. de Ref.* Tales sunt qui præsunt Monasteriis, quæ solitaria dicuntur, nec habent cum aliis monasteriis societatis seu mutuae communicationis vinculum; idest quæ cum aliis non agnoscunt communem superiorem generalem, cujus capitulo subduntur. Quod si vero regulares curam animarum exercent in Diœcesi, cujusque sint generis, in Synodum Diœcesanam convenire debent Trid. in eod. loco. 3°. Quicumque obtinent vel dignitatem vel personatum nisi habeant privilegium concessum post Tridentinum, tenentur Synodum adire. Hi enim lato quodam sensu dicuntur Prælati. Unde Archipresbyter, Archidiaconus, Prior, Decanus, Primitivus etc. tenentur ad Synodum accedere. Bened. XIV. *De Syn. Lib. 3. c. 3. n. 1.* — 4°. Vicarius generalis si ab Episcopo vocetur, tenetur intervenire. Animadvertit vero Bened. XIV. *l. c. n. 2.* maxime decere et expedire ut invitetur, quemadmodum deducit ex quodam Brevi Gregorii XIV. quod ibidem refert. 5°. Invitandi sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis. Constituti enim censentur in quasi dignitate, comparanda cum Prioribus et Decanis; et deduci potest ex *c. ult. De his quæ fiunt a Prælatiis.* Item juxta Benedict. XIV. *l. c. Lib. 3. c. 4. n. 5.* invitandi sunt Canonici Ecclesiarum Collegiatarum. Verum ne chori servitium et sacræ functiones deserantur, Canonici non omnes sed aliqui Capituli nomine in Synodum conveniunt, quemadmodum teste *Barbosa de Off. et Potest. Episcopi* part. 3. allg. 93. n. 11. resolvit *S. Congr.* die 10. Apr. 1594. Clerici vero beneficium in Cathedrali vel in Collegiatis Ecclesiis obtinentes, possunt invitari ad Synodum, sed uti singuli, non vero ut membra componentia Capitulum. 6°. Parochi debent invitari et interesse Synodo. Vicarii Foranei verum jus non habent ut vocari debeant, sed si vocentur, accedere tenentur. Notat vero Bened. XIV. *De Syn. l. 3. c. 3. n. 10.* oportere ut Episcopus omnes suos Vicarios Foraneos vocet ad Synodum, eo quia ab istis tanquam a testibus ocularibus melius quam a Vicario generali cognoscere poterit verum statum rerum, præsertim in remotis partibus Diœcesis. Quoad reliquos Presbyteros et Clericos non habentes beneficium ecclesiasticum a *S. Congr. Conc. Episcopo Balneoregensi* die 15. Dec. 1629. responsum est posse Episcopum eos cogere ut intersint quando in Synodo agendum est de reformatione morum, vel de aliqua re quæ attingat totum Clerum, vel de

intimandis decretis Concilii Provincialis quo in casu in ipsa convocazione mentio facienda est de generali convocazione ob aliquam ex prædictis causis. 7°. Possunt advocari et interesse Synodo etiam laici ex consuetudine aut si rationes et circumstantiæ peculiare eorum præsentiam exposcant.

174. Quamvis vero non pauci Clerici ex Diœcesi in Synodo conveniant, tamen Episcopus solus est iudex et legislator, qui incipit et dissolvit Synodum, quique suo nomine decreta conficit et promulgat. Quare adstantium votum est solum consultivum non vero deliberativum. Episcopus scilicet exquirat consilium adstantium, sed non tenetur illud sequi. Hinc approbatio illa de qua loquitur Pontificale Romanum, a Concilio tribuenda decretis, antequam hæc publicentur, non est approbatio authentica, et auctoritativa, sed adhæsiva. Exceptio tamen fieri debet circa res et dispositiones, in quibus Episcopus ex lege canonica procedere non potest sine consensu Capituli. Quibus in casibus tenetur exquirere hunc consensum, nec contra illum potest procedere et publicare decreta in Synodo. Hanc theoriam in praxi uti certam deprehendimus ex pluribus resolutionibus *S. Cong. Conc. relatis a Bened. XIV. De Syn. l. 13. c. 1. n. 10. et seqq.* et præsertim ex responsione ad Patriarcham Venetiarum die 27. Apr. 1592. cujus en tenor 'S. Congregatio per libellum Amplitudinis tuæ nomine porrectum consulta respondit, eandem Amplitudinem tuam in synodo Diœcesana facere posse Constitutiones absque consensu et approbatione Cleri, debere tamen requirere consilium Capituli, licet illud non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, non obstante quod ex forma Romani Pontificalis in celebranda Diœcesana Synodo expresse habeatur, ut constitutiones in Synodo publicandæ a Patribus per verbum 'placet' confirmentur'.

175. Quæritur quodnam sit objectum Synodi Diœcesanæ. Materia quæ discuti potest in Synodo Diœcesana ac decretorum objectum constituere, plene ac distincte exponitur in celebri et sæpe cit. op. Bened. XIV. quod *De Synodo Diœcesana* inscribitur præsertim a *Lib. 6. ad 12.* Summa vero capita tantummodo delibabimus. Synodus in Diœcesi convocatur ut disciplina tum quoad divinum cultum, tum quoad mores reformetur vel roboretur. Hinc decreta ejus sacræ liturgiæ observantiam præcipiunt et remouent abusus qui fortasse irrepserint, corrigunt defectus; vitia præcipua et mores depravatos præsertim Clericorum emendare satagunt,



opportunitis remediis institutis juxta temporum et locorum circumstantias; pericula ab hostibus christianæ fidei opposita præveniunt et arcent salubribus monitis et sanctionibus; pacem et unitatem fovent, religionis studium et honorem in populo nec non legum ecclesiasticarum observantiam aptis dispositionibus promovent. In Synodo etiam designantur examinatores seu scrutatores Clericorum, qui nempe promovendos ad ordines et ad beneficia curata examinant *sess. 24. de Ref. c. 18.* nec non designantur personæ idoneæ, quibus causæ decidendæ et negotia explenda a S. Sede delegentur; quæ personæ saltem quatuor esse debent, quarum si aliqua decesserit, Episcopus de Capituli consilio aliam substituere potest usque ad futuram Synodum *Trid. sess. 25. c. 10. de Ref.*

Abstinere autem debet Episcopus a decidendis in Synodo quæstionibus quæ salva fide agitantur in scholis vel a Doctoribus. Caveat etiam ne per suas constitutiones Synodales deroget juri communi, neve lædat aut imminuat privilegia Regularium vel aliorum.

176. Remanet aliquid dicendum de tempore et de loco celebrationis Synodi Diœcesanæ. Antiquitus semel vel etiam bis in anno celebrabatur. *Bened. XIV. De Syn. l. 1. c. 6. nn. 1. 2. et 3.* Celebrabatur autem præsertim ut publicarentur decreta Synodi Provincialis; *can. 17. dist. 18.* (Conc. Toletani ann. 593). Sed Innocentius III. in *c. 25. de Accusation.* edixit, ut semel in anno Synodus hæc celebraretur. Quam dispositionem Tridentinum renovavit in *c. 2. sess. 24. de Ref.* Hæc porro lex de annuali celebratione Synodi Diœcesanæ abrogata non est, sed adhuc viget; solummodo ejus obligatio adeo stricte non urgetur. Spirituali enim bono Diœcesum ex nova disciplina paullatim inducta, provideri potest usu aliorum mediorum, quæ inter certe recenseri debet praxis plurium Diœcesum sequendi et usu confirmandi ea quæ jam in aliqua præcedenti Synodo Diœcesis ejusdem fuerunt statuta. Porro in approbatione relationum quas de statu Diœceseos Episcopi faciunt in visitationis ss. Liminum occasione, S. Cong. C. non insistit ut absolute servetur lex Tridentina, sed Episcopos hortatur ut Synodum Diœcesanam celebrent quoties viderint expedire bono spirituali Diœceseos.

177. Concilium Diœcesanum constituit exercitium publicum et solemne jurisdictionis episcopalis. Quare in territorio Episcopo subjecto celebrari debet. Licet vero, stricto jure inspecto, possit

Episcopus Synodum congregare in quolibet oppido suæ Diœcesis, tamen, ubi nullum obstat impedimentum, maxime expedit ut illam convocet in civitate, idest apud suam Cathedralē Ecclesiam, ceu tenuit *S. Cong. C. in Acernen. diei 17. Maji 1636.* Si autem Episcopus præsit duabus Cathedralibus Ecclesiis æque principaliter unitis, potest stricto jure Synodum vel in una vel in alia celebrare. At æquum est et decens, ut modo in una et modo in alia cathedrali Ecclesia Synodum congreget. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 1. c. 5.*

178. Tandem adnotandum est Episcopum posse statim publicare decreta Synodi quin approbationem requirat a S. Sede, quia approbatio hæc necessaria non est. Immo S. Cong. C. rogata ut recognosceret acta Strongolensis Synodi, respondit se non consuevisse revidere et approbare, nisi Synodos Provinciales ex *Const. Sixti V.* et Episcopum uti posse jure suo ex s. Concilio (Tridentino). Ita respondit die 17. Junii 1645. *Bened. XIV. De Syn. l. 13. c. 1.*

179. Tertium munus jurisdictionis episcopalis est illud judicandi. Scilicet Episcopus est verus judex ordinarius in sua Diœcesi, et potestatem judicandi uti propriam habet sive quoad forum internum, sive quoad externum. Forum internum, quod etiam pœnitentiale dicitur, respicit conscientiam fidelium quam Episcopus opportunis monitionibus et pœnitentiis dirigit, emendat, a culpis patris et a censuris absolvit et ad sanctitatem assequendam disponit. Externum forum regimen christiani populi respicit quatenus christianus populus publicam societatem efformat, et actionem habet visibilem et publicam.

180. In foro interno Episcopus subjectas habet omnes et singulas personas suæ Diœceseos cujuscumque sint gradus et qualitatis. Hinc est Pœnitentiarius totius Diœceseos et habet potestatem quæcumque ligandi et solvendi. Hæc vero potestas quæ per se omnes causas, omnesque culpas vel defectus complecti posset, limitationem pati potest, et passa est ab auctoritate summi Pontificis per positivam reservationem aliquorum casuum. Unde dantur casus papales, in quibus nempe absolutio summo Pontifici reservatur. De hisce casibus agitur in Theologia morali. Obiter tamen animadvertimus, in genere casus summo Pontifici reservari ratione censuræ adnexæ eidem Pontifici reservatæ. Quare causæ quæ excusant a censura, idest quæ excludunt contumaciam, excusant etiam a reservatione. At duo sunt casus, qui ratione sui, idest



absque censura, summo Pontifici reservantur. Videlicet 1<sup>o</sup> falsa apud tribunal ecclesiasticum accusatio sacerdotis innocentis de crimine sollicitudinis ad turpia in sacramentali confessione, vel occasione sacramentalis confessionis. Ita in Const. *Sacramentum Pœnitentiæ* Benedicti XIV. 2<sup>o</sup>. Receptio muneris a persona regulari utriusque sexus, cujus valor excedat decem scutata monetæ Romanæ, idest francos seu libellas quinquaginta tres et centesimos septuaginta quinque. Ita in Const. Clementis VIII. et Urbani VIII.

181. Præter Episcopum dantur alii qui in Diœcesi potestatem exercent in foro interno; et horum alii vi officii proprii, alii vero ex commissione. Ex proprio officio sunt Parochi et Canonicus Pœnitentiarius. Verum etiam horum potestas in suo exercitio a potestate Episcopi dependet, a quo potest limitari. Cæteri vero omnes sacerdotes excipere confessiones et absolvere non possunt nisi ab Episcopo receperint approbationem seu mandatum delegationis. Quod dici etiam debet de regularibus quoad confessiones sæcularium personarum *Trid. sess. 23. c. 15. de Ref.*

182. Ad potestatem fori interni sese refert etiam jus quod habet Episcopus aliquos casus conscientiæ reservandi, in quibus nec ipsi Parochi, nec Canonicus Pœnitentiarius ex generali mandato possunt absolvere. De jure Episcoporum reservandi sibi aliquos casus Tridentinum agit in *sess. 14. c. 7.* ex quo capite confecit *can. XI.* ejusdem sessionis. Porro in hisce locis explicite traditur sacerdotes absque speciali facultate non posse in hisce casibus reservatis valide absolvere. Hæc autem reservatio fieri debet ab Episcopis in ædificationem spiritualem fidelium, non autem in destructionem. Ad eandem potestatem sese refert etiam facultas Episcopi dispensandi et absolvendi quæ a Tridentino eidem conceditur in *sess. 24. c. 6. de Ref.* per hæc verba 'Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi apostolicæ reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentiæ salutari. Idem, et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum'. Quandoque casus seu crimen dici debeat occultum, explicatur a Bened. XIV. in *Inst. Eccl. 87. n. 45. seqq.*

Porro dispositio Tridentina renovata et correctata est in Const. *Apostolicæ Sedis* circa finem per hæc verba 'Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *sess. 24. c. 6. de Ref.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus'. Quare hodierno jure Episcopi non possunt amplius uti facultate a Concilio Tridentino eis concessa, absolvendi delinquentes a censuris quæ continentur in 1<sup>o</sup>. artic. Constitutionis *Apostolicæ Sedis*, inter quas adnumeratur etiam excommunicatio ob crimen hæresis et in alia Const. Pii IX. quæ incipit '*Romanus Pontifex*' edita V. kal. Sept. 1873. de qua supra egimus in tit. de Elect.

183. Episcopus est etiam judex in foro externo, præest enim societati visibili, in qua reddere debet justitiam et servare jura fidelibus suis. Hinc habet verum tribunal ad quod potest etiam invitos vocare et compellere. Videt ergo et decernit saltem in prima instantia omnes causas pertinentes ad forum ecclesiasticum *Trid. sess. 24. c. 20.* Ad tribunal Episcopi trahendi sunt Clerici pro causis omnibus sive civilibus sive criminalibus ex privilegio fori. Laici autem solum pro causis ecclesiasticis aut mixtis. In hoc externo tribunali Episcopus decernit et intimat censuras et publicam pœnitentiam; arcet ab Ecclesia, absolvit publice a censuris.

184. Quartum munus episcopale respicit auctoritatem corrigendi et debitas pœnas infligendi. Siquidem Episcopus curare efficaciter debet ut disciplina morum et sanctitas cultus conservetur. Quare corrigit abusus qui irrepserint in utraque materia *c. 13. h. t.* prohibet, ne minus honestæ vel indecentes imagines, neve falsæ reliquiæ venerationi fidelium exponantur, etiam in ecclesiis quomodolibet exemptis in sua Diœcesi existentibus, *cap. un. sess. 25. de invocation. veneration. et reliquiis sanctor. circa finem.* Censuras etiam et interdicta intimat quæ publicanda sunt et servanda etiam a Regularibus in eorum ecclesiis *c. 5. de Consuetud. sess. 25. c. 12. de Regul. in Tridentino.* Episcopus quamvis semper et possit et debeat corrigendi munus contra delinquentes implere, præsertim vero illud exercet in sacra visitatione Diœceseos. Tenetur enim totam Diœcesim quotannis visitare, aut si totam propter ejus amplitudinem visitare non possit, visitare saltem debet majorem partem ita ut tota visitatio biennio compleatur *sess. 24. c. 3.* De hoc vero munere episcopali egimus in Lib. III.



185. Quinto loco competit Episcopo potestas administrandi. Hæc potestas respicit primo beneficia. Antiquitus Episcopus possidebat bona et redditus totius Dioceseos, et Clericis divino ad dictis servitio vel quotidiana secum mensa sustentabat, vel statutis temporibus præscriptam fructuum mensuram distribuebat. Institutis deinde beneficiis, Episcopus singulis concedebat propriam præbendam. Quare Episcopus fundatam in jure habet intentionem circa collationem beneficiorum. Ipse ergo vel confert vel instituit in beneficia omnia, iis tantum exceptis, quæ vel ex reservatione aut ex privilegio ad Rom. Pontificem vel ad alium collatorem pertinent. Ratione hujus potestatis erigit beneficia, eadem unit et dividit exceptis casibus in jure prohibitis. Ipse est præcipuus defensor jurium beneficiorum, Ecclesiarum et locorum piorum, necnon miserabilium personarum *sess. 7. c. 14. de Ref.* Hisce omnibus hucusque expositis de Episcopi jurisdictione, concludimus eam exprimi posse generali principio. Scilicet Episcopus regit et gubernat Ecclesiam in omnibus quæ spiritualia sunt vel spiritualibus adnexa, exceptis quæ ab ejus potestate eximuntur sive ex jure communi sive ex decreto supremæ potestatis.

186. Porro exemptio a jure inducta respicere potest vel res vel personas. Præstat quædam adjungere de regimine episcopali quoad personas exemptas. Olim omnia monasteria subjecta erant Episcopis; can. *Qui vere c. 16. q. 1. et can. Monasteria c. 18. q. 2.* Successu temporis regulares familiæ ob bonum Ecclesiæ universalis exemptæ sunt a jurisdictione Episcoporum, ac Rom. Pontifici immediate subiciebantur. Verum cum abusus obrepissent, factum est ut a Conc. Tridentino et ex Constit. Pontificum posteriorum Regularium privilegia coarctarentur. Varii ab auctoribus enumerantur casus in quibus Regulares subduntur potestati Episcopi loci. *Fagnanus com. in c. 19. h. t. enumerat 47, et Barbosa in op. De Off. et Pot. Episcopi alleg. 105. enumerat 42 casus.* Jam vidimus potestatem Episcoporum erga Regulares relate ad munus prædicationis et excipiendi confessiones et relate ad Synodum Diocesanam. Præcipuos casus ex reliquis recensebimus; de multis enim in propriis et distinctis locis agimus. 1º. Regulares commorantes, idest habentes pro aliquo tempore habitationem extra monasterium, licet de superioris licentia, si deliquerint, subduntur Episcopo loci, qui in eos procedere potest tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus *sess. 6. c. 3. de Ref.* — 2º. Si regularis in mona-

sterio regularis observantiæ degat, sed notorie deliquerit extra monasterium, poterit Episcopus exigere ut Superior Monachum intra tempus ab Episcopo definitum puniat; et de facta punitione certiore Episcopum reddat. Si secus fecerit ipse Superior a Prælato suo privatur officio, et delinquens puniri poterit ab Episcopo *sess. 25. c. 14. de Regul.* Qua in re Clemens VIII. in sua Const. *Suscepti muneris* diei 18. Martii 1596. vetuit ne delinquens religiosus ad aliam transferatur Diocesim. Quod si translatus fuerit revocandus est ad Diocesim in qua deliquit ut severe puniatur. — 3º. Subduntur Episcopis Regulares apostatæ vel ejecti a Religione ex decreto *S. Congr. C.* diei 11. Sept. 1624. ac relato in tom. Bull. 4. Const. 28. Urbani VIII. Nec non Regulares qui absque mandato in scriptis obtento recedunt a suis conventibus quocumque prætextu *sess. 25. c. 4. de Regul.* — 4º. Qui impediunt exercitium jurisdictionis episcopalis, vel delinquant in personam Episcopi, possunt ab Episcopo puniri ex decreto *S. Cong. C.* probato a Gregorio XIII. *Fagnanus l. c. n. 76.* — 5º. Monasteria vel Conventus instituti post Urbanum VIII. idest post 21. Jun. an. 1625., in quibus duodecim Religiosi non habitent, subduntur Episcopi jurisdictioni et visitationi. Ita ex decreto Urbani VIII. quod incipit *Cum sæpe contingit* edito in dicta epocha idest die 21. Jun. 1626. Præterea cum Innocentius X. Const. *Instaurandæ* data idibus Octob. 1652. nonnullos parvos conventus in Italia et insulis adjacentibus suppressisset, deinde per Decretum *Ut in parvis* diei 10. Febr. 1654. quosdam ex eis restituit ea lege 1º. ut saltem sex religiosi, quorum saltem quatuor sacerdotes, in eis morarentur, et 2º. ut subjacerent jurisdictioni Episcopi localis tanquam Sedis Apostolicæ Delegati quoadusque numerus religiosorum actu commorantium ad duodecim non perveniret. Cfr. *Bened. XIV. De Syn. l. 3. c. 2. n. 1. et seqq.* Si autem sermo sit de Conventibus non suppressis per cit. Const. *Instaurandæ* subduntur jurisdictioni Episcopi illi conventus in quibus actu saltem sex religiosi, quorum quatuor sacerdotes, commorantur. Ita censuit S. Cong. super statum Regular. diei 15. Sept. 1703. apud Bened. XIV. loco cit. n. 10. — 6º. Exstrui novum monasterium non potest sine licentia Episcopi *sess. 25. c. 3.* Qui Episcopus debet causam erectionis perpendere et videre utrum expediat vel non fundatio hujusmodi, vocatis et auditis superioribus aliorum conventuum in loco existentibus et aliis interesse habentibus. Ita in Decreto Clementis VIII. diei 26. Augusti 1603. —